

dentibus, rubus factus est ardens incombustus. » Et S. Leo, serm. 1 de Nativit. « Merito, ait, virgineæ integrati nihil corruptionis intulit partus salutis; quia custodia fuit pudoris, editio veritatis. »

14º EX EA CHRISTUS CREATUR VELUT GERMEN E TERRA, IRRORANTE RORE VEL PLUVIA COELESTI.

XIV
388
2

Ecce enim ego adducam servum meum orientem.
(Zach. III, 8.) — Quæres cur Christus vocatur hebraice **תְּסִמְחָה**, *Tsemach*, id est surculus vel germen (quod versum est *oriens*) ? Respondeo.....
secundo : quia Christus e Virgine natus est obumbrante Spiritu sancto, sicut germen e terra pullulat irrorante rore, vel pluvia cœlesti, sine maris concursu.....

15º VER SPIRITUALE ET VIRGINEUM MUNDO INDUXIT.
(Vide supra XI, 552, 4.)

XVI
27
2

X
MARIÆ VISITATIO AD ELISABETH.

1º QUANDO B. MARIA ELSABETHAM ADIERIT, ET QUA DE CAUSA.

Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda. (Luc 1, 30.) — In diebus illis. Non ergo eodem die, ut insinuat Theophylactus, Beda et S. Ambrosius, quo salutata ab angelo filium Dei concepit et corporavit, abiit, sed post duos vel tres dies ; hos enim insumpsit contemplando, gratias agendo et dissuaviando eum filio Dei in se jam incarnato. Ita Franciscus Lucas, Baradius et alii.

Abiit. — Cur ? Respondeo :

Primo, ut Verbum in se conceptum aliis annuntiaret ejusque gratiam eis aspiraret. Volebat enim Christus in ea incarnatus illico inchoare officium salvatoris, ad quod a Patre missus erat, unde S. Ambrosius : « Abiit, inquit, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo (ut exploraret an revera Elisabeth concepisset, ut ei nuntiaret angelus), sed quasi laeta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio. »

Secundo, ut Joannem a peccato originali expiaret, eumque cum Elisabeth matre Spiritu sancto impletret ; sicque Christi honor omniumque devotione creseret. Ita Origenes hic, hom. 7 : « Jesus, ait, qui in utero virginis erat, Joannem adhuc in ventre matris positum sanctificare festinabat. »

Tertio, ut Elisabethæ cognatæ suæ de concepto per miraculum Joanne congratularetur eique gravidæ et seni serviret, ideoque mansit cum ea toto reliquo tempore quo gravida fuit, puta mensibus tribus, usque dum pareret Joannem. Ita Beda et alii.

Quarto, ut daret omnibus futuris sæculis insigne humilitatis et charitatis exemplum, quo ipsa, jam mater Dei et regina mundi effecta, dignatur visitare Elisabetham, quæ ipsi potius ancillare et servire debebat; ut et nos similiter ejus exemplo viles, pauperes aliosque nobis inferiores libenter visitare, salutare, eisque servire et opitulari in animum inducamus.

Quocirca exemplo et titulo visitationis B. Virginis, multæ congregations ad visitandos pauperes, hospites, infirmos, incarceratos, etc., institute sunt, ac nuper hoc *titulo congregationem religiosarum insignium* per totam Galliam, quæ ægris serviant, instituit dominus Franciscus Salesius, episcopus Genevensis, vir magnæ pietatis et zeli.

Opinatur Jansenius, et alii, cum B. Virgine ivisse Josephum, utpote ejus sponsum et maritum. Verius alii id negant, quia, si Joseph ivisset cum ea, audisset utique illam ab Elisabetha salutari matrem Dei, ac proinde post redditum videns eam intumescente utero gravidam, non voluisse eam dimittere: quod tamen facere voluit, ut patet Matt., i, 19. Joseph ergo, domi cura rei familiaris detentus, B. Virginis, sponsæ suæ eunti in montana associavit ancillam vel matronam quamdam gravem, quæ ei fidelis esset itineris comes, adjutrix, testis actionum omnium.

2º QUAM IN REGIONEM?

Abiit in montana. (*Ibid.*) — *In montana* vel Hebron, ut volunt Baronius, Toletus et alii, vel Judææ, ut volunt geographi terræ sanctæ, de quo mox plura. (*Vide Cornel a Lapide.*)

Tropologice: anima Deo plena, uti erat anima B. Virginis, in montana condescendit, id est ad ardua virtutum enititur. Ita sanctus Ambrosius: « Quo jam Deo plena, ait, nisi ad superiora cum festinatione condescenderet? » Et Beda: « Concepto mente Dei Verbo, ait, ascendendum ad virtutum cacumina, amoris gressu, et civitas Judææ, id est confessionis et laudis, penetranda; et in perfectione fidei, spei et charitatis quasi tribus mentibus commorandum. Hinc Loth fugienti incendium Sodomæ dicitur: « In monte salvum te fac, » *Gen. xix, 17.* Et Habacuc, iii, 19: *Deus dominus, ait, fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum et super exelsa mea deducet me vitor in psalmis canentem.*

3º CUR CUM FESTINATIONE?

Cum festinatione. (*Luc. i, 39.*) — Syrus, *sedulo*, vel diligenter; græce μετὰ σπουδῆς, id est cum studio, diligentia, sedulitate, festinatione, agilitate. Agilem enim facit actio, strenuum motus, fortem animus, robustum corpus, ait Cornelius Fronto.

Causam primam festinationis dat S. Ambrosius: « Festinavit Virgo, inquit, ne extra domum diu in publico moraretur, etc. Discite, virgines, non demorari in platea, non aliquos in publico miscere sermones. Maria, in domo sera, festinat in publico. »

Secundam causam idem Ambrosius addit, quia plena erat gaudio et Spiritu sancto : « Nescit, inquit, tarda molimina Spiritus sancti gratia. » Gaudium enim, et devotione, ac charitas stimulabant B. Virginem ad festinandum.

Tertiam dat Origenes, quia Christus in utero Virginis Joannem a peccato purgare et sanctificare festinabat. « Mariam ergo, ait S. Ambrosius, quæ autem sola in intimis penetralibus versabatur, non a publico virginitatis pudor, non a studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit. »

4º PRIUS ADIIT JERUSALEM, ET IN TEMPO SE SUUMQUE CONCEPTUM OBTULIT.

XVI
28
2

In civitatem Juda. (Ibid.) — Id est in Jerusalem, aiunt Albertus Magnus et S. Bonaventurus; sed Jerusalem cum de ea agitur alibi passim, solet nominari.

Adde : Jerusalem erat in tribu Benjamin, non Juda. Melius ergo Toletus et Baronius accipiunt Hebron; haec enim erat in tribu Juda, sita in monte, eratque prima ex civitatibus iis quæ in tribu assignatae erant sacerdotibus ad habitandum, *Josue* xxi, 9 et seq., sicut aliæ eisdem assignatae erant in tribu Simeon et Benjamin. Porro Hebron a Jerusalem distat octo horis. Denique Brochardus, Bredembachius, Adrichomius, etc., in *Descriptione terræ sanctæ*, civitatem hanc aiunt fuisse Emmaus, ubi incipiunt montana Iudeæ, quæ a Jerusalem distat hora cum media; de quo mox plura. Juxta Hebron ergo sunt montana Hebron; juxta Emmaus montana Iudeæ, ut patet ex tabulis geographicis.

Verisimile est B. Virginem prius ivisse Hierosolymam, utpote instantे festo Paschæ, ibique in templo Deo gratias egisse, eique se suumque Jesum jam conceptum obtulisse. Ita Chilovæus, Franciseus Lucas, Baradius et alii, præsertim quia ex Nazareth in montana per Jerusalem directum erat iter. Fuit ergo hoc virginis iter facile quatridui : nam a Nazareth in Jerusalem est iter tridui, puta iter 26 horarum; quarto deinde die B. Virgo e Jerusalem ivit domum Zachariæ; de quo jam plura. (Vide Cornel. a Lapide.)

5º CUR ET QUOMODO COGNATAM SALUTAVERIT?

Et salutavit Elisabeth. (Ibid) — Dicendo : « Pax tecum, » quia haec erat Hebreis usitata salutatio. Unde Syrus vertit, *precata est pacem*, sive salutem.

Fecit hoc B. Virgo instructu Dei, qui per angelum ei suggesterat conceptionem Elisabethæ, ad hoc ut tacite eam submoneret gratum fore Deo, si illam visitaret et salutaret. Intendebat enim Deus per Elisabetham, utpote matronam grandævam, prudentem et sanctam orbi pandere conceptionem B. Virginis, arcanam Verbi incarnationem in ea factam, quasi thesaurum latentem in visceribus Virginis, omnibus illo indigentibus patefacere. Hoc enim fecit Elisabeth cum dicit : *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?*

XVI
29
1

6º CUR ZACHARIAM NON SALUTARIT?

Elisabeth. (Ibid.) — Non Zachariam, tum quia mutus erat et surdus, tum quia non decebat virum a virgine salutari, nec pudor virgineus id permittebat.

XVI
29
1

Porro, beata Virgo, « prior salutavit, ait S. Ambrosius; decent enim ut, quanto castior virgo, tanto humilior sit, noverit deferre senioribus, sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis, » etc.

Vide S. Chrysostomum, hom. 18 in *Matt.*, sub finem, ubi docet ridiculos esse et superbos, qui nolunt prius salutare, nisi salutati resalutant: sapientes vero et humiles esse eos qui prius salutant; idque *primo*, quia virtutis et humilitatis officium anticipant alterique præripunt; *secundo*, quia superbiam domant tam suam, quam alienam; *tertio*, quia simultates, lites et odia tollunt et dissipant.

7º AN SUA SALUTATIONE ELISABETHAM ET JOANNEM
BAPTISTAM SPIRITU SANCTO REPLEVERIT.

XVI
29
1

Et factum est ut audivit salutationem (Syrus pacem). Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu sancto Elisabeth. (Luc, I. 41.) — Nota, cum S. Ambrosio: salutationem et vocem Mariæ prior audivit Elisabeth, sed vim, spiritum et efficaciam salutationis prior sensit Joannes, utpote matre sua prior et subtilior; ad hunc enim velut futurum Christi præcursorum, maxime dirigebatur hæc salutatio Virginis, imo Christi: nam, ut solerter adverbit Origenes, Christus in ventre matris latens hanc ei salutationem suggestit. Et Theophylactus: « vox virginis, ait, vox erat incarnati in illa Dei. » Et Euthymius: « Christus, inquit, locutus est per os matris suæ; Joannes autem audivit per aures matris suæ, et agnito supernaturaliter Domino, tum exultatione illum prædicavit. »

Porro Joannes, exultans in utero matris, fecit eam pariter exultare. Nam ex exultatione Joannis, suggerente Spiritu sancto, agnovit Elisabeth B. Virginem concepisse Christum, ideoque illam ut matrem Dei resalutavit et venerata est.

Moraliter: disce hic quam utilis et efficax sit salutatio et præcatio sanctorum, et præsertim B. Virginis, utpote quæ unico salutationis verbo tam Joannem quem Elisabetham Spiritu sancto replevit, omnibusque ejus donis cumulavit. « Sanctorum non tantum verba, sed et ipsi aspectus spirituali gratia pleni sunt, » ait S. Chrysostomus, homil. 3 ad *populum*. Idem in II ad *Thim.*, cap. I, 4: « Sufficit, ait, sola Pauli salutatio gratia implere eum qui ita salutatur, » etc.....

8º VERE DEI MATER EST, BEATA FUIT, EST ET ERIT.

XVI
30
2

*Et beata quæ credidisti, quoniam perficiuntur ea quæ dicta sunt tibi a Domino. (Luc. I, 45.) — Per Angelum, v. 31, scilicet: *Paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus. Cognovit ergo Elisabeth per Spiritum sanctum, B. Virginem credidisse angelo nuntianti Christi conceptionem et nativitatem.**

XVI
32
4

Beata, tum per rem quia Christum jam utero gestas; tum per spem, quia enim paries, qui te omnesque in eum credentes beatos in cœlo efficiet. Beata ergo es apud Deum et homines. Beata es et eris per omnem saeculorum æternitatem. Beata, inquam, autonomastice, id est omnium angelorum et hominum beatissima et felicissima. Tacite perstringit

Elisabeth Zachariæ mariti sui incredulitatem de nascituro Joanne, vers. 20, eique opponit fidem Virginis. Unde Beda : « Vere beata, ait, quæ sacerdote præstantior, cum enim sacerdos negasset, virgo correxit errorem. »

9º LAUDES SIBI A COGNATA DATEÆ IN DEUM RETORQUET.

XVI
32
2

Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. (Ibid. 46.) — Sic quoque Syrus, Arabicus, Ægyptius, Persicus et Æthiopicus. Apposite ad laudes suas ab Elisabeth celebratas respondet B. Virgo, retorquendo illas ad suum fontem, puta ad Deum. Audi S. Bernardum, serm. in illud Apoc. XII : *Signum magnum apparuit in cœlo*; sic enim ait : « Magna quidem præconia, sed et devota humilitas, nil sibi passa retinere in eum magis universa refudit, ejus in se beneficia laudabantur; tu, inquit, magnificas matrem Domini, sed magnificat anima mea Dominum. In voce tua filium perhibes exultasse in gaudio, sed exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, et ipsa quoque tanquam amicus sponsi gaudet ad vocem sponsi. Beatam esse dicis, qua credidisset, sed credulitatis et beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, ut ex hoc magis beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem et exiguum respexit Deus. »

10º EJUS IN ANGELO CREDENDO MAGNANIMITAS.

XVI
32
2

Magnificat anima mea Dominum. (Ibid.) — Pergit deinde S. Bernardus ostendere B. Virginem, licet

esset humillima, in fide tamen promissionis sibi ab angelo facta summe fuisse magnanimam, ut ad tantum mysterium non dubitaret se electam, sed veram Dei et hominis genitricem crederet mox futuram. Facit enim hoc in electis gratia Dei, « ut eos nec humilitas faciat pusillanimes, nec magnanimitas arrogantes. »

11º TOTA ANIMA DEUM MAGNIFICAVIT.

XVI
32
2

Magnificat. (Ibid.) — Aliter magnificat hominem Deus, aliter homo Deum : Deus magnificat hominem, quia eum magnum facit, dum magnis opibus, honoribus, gratiis et donis eum cumulat, et præ cæteris extollit; homo vero sic nequit magnificare Deum, quia nil parvi vel magni ei addere potest. Magnificare ergo Deum dicitur, una ejus magnitudinem, id est majestatem, magnificentiam, omnipotentiam, sanctitatem, sapientiam, beneficentiam, etc., laudare et prædicare.

Sensus ergo est, q. d. Tu, o Elisabeth, magnificas me dum me magnifico titulo matris Dei exornas et magnalia Dei mihi collata celebras; at ego magnifico et celebro Deum, qui me magnam fecit, dum tam magnum mihi dedit filium, scilicet Deum ipsum; ac tam magnum incarnationis Verbi mysterium in me operari dignatus est. Unde Beda sic paraphrastice explicat : « Tanto me Dominus, tamque inaudito munere sublimavit, quod non ulla officio lingue explicari, sed ipso vix intimi pectoris affectu valeat comprehendendi; et ideo totas animæ meæ vires in agendis gratiarum laudibus offero, totum in contemplanda magnitudine ejus, cui non est finis, quidquid vivo, sentio, discerno, gratulanter inpendo. »

Anima mea. (Ibid.) — q. d. Non solum lingua mea, nec sola manus mea, sed ipsa anima mea tota quanta est, magnificat Deum, hoc est, ego et intimis animæ meæ penetralibus, sinibus et sensibus, totis mentis meæ facultatibus laudo et glorifico Deum; omnes animæ meæ vires in ejus laudem expromo et exhauiro ut intellectus meus nil nisi ipsum consideret; voluntas nullum nisi ipsum amet et celebret; memoria nil nisi ipsum cogitet; os meum nil nisi ipsum loquatur et prædicet; manus mea non nisi ea quæ ad cultum ejus spectant, operetur; pedes mei non nisi ad ea quæ ad gloriam ejus spectant, progrediantur et procedant.

12º ERAT DOMINA ANIME SUE, EAMQUE
TOTAM FILIO TRADIDERAT.

XVI
33
2 *Anima mea.* (Ib.) — Symbolice, Toletus: « Recte, inquit, Virgo ait: *anima mea*; primo, quia ipsa sola habebat animam suam in potestate sua, ejusque erat hera et domina, quia illam possidebat per patientiam et affectuum passionumque omnium dominum; at nos non possidemus animam nostram, quia possidemur ab ira, superbia, concupiscentia, similiue passione. Secundo, quia ipsa totam animam tradiderat filio: quæ autem filii erant, ipsius quoque erant. Unde anima ejus filio tradita, in ejus potestatem integra revertebatur, perfecteque dicit *anima mea*; » tota enim ipsius erat, quæ tota a filio quantum ad omnes ejus partes possidebatur. Tertio, propter affectum dilectionis; quo enim Deum aliquis magis diligit, eo magis diligit animam suam. Cum igitur B. Virgo Deum maxime super omnes homines

dilexerit, nullumque peccatum commiserit, suam profecto animam maxime diligebat. Quid autem diligimus, præ dilectione nostrum appellamus: quæ igitur animam suam sic diligit, eam vere suam vocavit.

13º DEUM SUMMOPERE DILIGEBAT, SANCTAM TRINITATEM
MAGNIFICABAT, etc. (Vide, supra, XVI, 33 et seq.)

14º EJUS OB CONCEPTIONEM VERBI SUMMA EXULTATIO.

XVI
34
1 *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* (Luc. 1, 47.) — *Exultavit*, scilicet ab initio conceptionis et incarnationis Verbi in me, et continuo exultat. Græce est *τιγαλλιασε*, id est vehementer lætatus est, gestiis exultavit, jubilavit: *άγαλλισω* enim, ait Eustathius, dicitur quasi *άγαλξω* id est admiror vehementer. B. Virgo ergo admirans spiritu, in Dei se incarnati divinam potestatem, sanctitatem, justitiam, benitatem, benificentiam, exultat, et præ gudio gestit et jubilat. Hinc Euthymius in illud. *Psal. IX, lætabor et exultabo in te*: « Exultatio, ait, major quædam est lætificie intensio, quæ præ nimio gudio subsilire valde, atque elevare cor facit. »

Audi Albertum Magnum: « Exaltatio, inquit, est quædam exaltatio in jubilo, cum cordis gaudium saltat in corporis jucunditatem, et tunc patet exaltare spiritum esse jucundari spiritum etiam in tripudio corporis, juxta illud Zachar., ix: *Exulta satis, filia Sion; jubila, filia Jerusalem; ecce rex tuus venit tibi mansuetus.* Addit Albertus: « In utero Deipare echo quædam divina efficitur, repercussioque soni, ac

vocis Christi existentis in utero, in os Mariæ, quæ deinde ad eum dum Christum reflectitur, dum dicitur:
Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Accedit Cajetanus: « *Exultatio*, ait, est exundans lætitia, quæ scilicet in signa externa gesticulationis, cantus, jubilationis, etc., modeste tamen et graviter erumpit. »

Alludit ad illud Isaiæ, cap. xli, 10: *Gaudens gaudabo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo;* et magis ad illud Annæ I Reg., II: *Exultavit cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo.* Sicut enim exultavit Anna sterilis, Dei ope et miraculo concipiens Samuelem; sic exultavit B. Virgo ex Spíritu sancto concipiens Emmanuelem: hujus enim typus fuit Samuel. Sicut enim *Emmanuel*, hebraice idem est quod **עִמָּנוּ אֵל** *immanu el*, id est nobiscum Deus; sic Samuel idem est quod **שָׁאֵל מְנַחָּה** *saul meel*, id est postulatus et datus a Deo; vel ut R. Abraham et Pagninus, Samuel idem est quod **שְׁבַע נָסָר** *Seemo el*, id est *illuc Deus*, scilicet in utero, non tam Annæ quam B. Virginis. Samuel enim fuit sanctissimus propheta, princeps et salvator Israelis, uti Christus est omnium fidelium. Quocirea canticum hoc B. Virginis plane respondet cantico Annæ, I, Reg. II. Eadem enim est utriusque materia, idem exultans spiritus humilitatis, gratitudinis et devotionis in Deum, juxta illa Psal.: *Anima mea exultabit in Domino, et delectabitur super salutari suo.* Ps. xxxiv, 9.

14º QOMODÒ VOCET DEUM SALVATOREM SUUM.

XVI³¹
2 In Deo salutari meo. (Ib.) — S. Augustinus, scribens super Magnificat, Virgine^m duo hic facere docet:

Primo, Dei bonitatem et misericordiam prædicare, sicut, in præcedenti versu, ejus potentiam et majestatem; *secundo*, suavitatem et dulcedinem quam ipsa in conceptione sui filii hauserat, foras effundere; atque in hac re dicit Deiparam unitatam fuisse angelos, qui hæc duo in cœlis præstant, nimirum Dei majestatem incomprehensibilem meditantur, et ejus ineffabili bonitate atque dulcedine perfruuntur; et sic admirantur ut diligent et exultent. Ejus verba sunt hæc: « *Vidisti majestatem, guttasti suavitatem, ideo quod intus hauseras, foras propinasti, et in justitia ejus exultasti, quia exultavit spiritus meus; anima magnificat, spiritus exultat.* »

Et iterum: « *In Deo salutari meo*, Deus potentiam, salutaris misericordiam notat. Duo quippe sunt quæ angelorum et hominum beatorum spiritus in illo fonte boni æterna contemplatione hauriant, incomprehensibilis scilicet majestas Dei et ineffabilis bonitas; quorum alterum castum timorem gignit, alterum dilectionem parit: pro majestate venerantur Deum et pro bonitate amant, ne vel dilectio sine reverentia dissoluta sit, vel reverentia sine dilectione pœnalis. Admirantes enim diligunt, et diligentes admirantur, ut inextinguibiliter per admirationem ardeat dilectio, et suaviter in dilectione serveat admiratio. »

15º EJUS HUMILITATEM RESPEXIT DEUS.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. (Luc. I, 48.)
— Dat causam cur exultet in Deo Jesu suo, quia scilicet ipse respexit, id est benignis oculis aspergit, approbat, amat, amplectus est humilitatem vir-

ginis, in eaque sibi complacuit. Unde Theophylactus : « Respexit, ait, in me humilem, non ego ad illum respexi : ille me prosecutus est misericordia, ego illum nam quæsivi. » Et S. Augustinus, super *Magnificat* : « Hæc, ait, est gratia exultationis suæ, quia Respexit humilitatem ancillæ suæ, ac si dicat : quia de ejus gratia exulto, ideo ab ipso est quod exulto ; et quia ejus dona propter ipsum diligo, ideo in ipso exulto. »

Respexit. — Audi S. Augustinum hic : « Respicere per gratiam, est prius objectos et derelictos visitare, cum bona, placatus per misericordiam, subtracta restituit. Rursum per respectum gratiae ad eum se convertit. Bene ergo Maria solam in humilitatem Dominum respexisse testatur, quia divinitatis propitiationem, quam humana natura in primis parentibus per superbiam perdidit, in Maria per humilitatem recuperavit. »

S. Bernardus, serm. 57 in *Cant.* : « Deus, inquit, respicit terram, et facit eam tremere ; e regione respicit Mariam, et infundit gratiam. Respexit, ait, humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes ; non sunt hæc verba plorantis aut trepidantis, sed gaudentis. » Hinc ait illi : *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.* » *Cant.* II et seq.

Humilitatem. — Græce ταπεινωσιν, id est *vilitatem, exiguitatem, abjectionem* ; hanc enim opponit magnitudini Dei : « Excelsus enim Dominus humilia respicit et alta a longe cognoscit. » Pl. cxyii, q. d. Magnifico Deum, et in ipso exulto, quia ipse, cum sit maximus summusque omnium Dominus, me feminarum, imo creaturarum omnium minimam, id est vilissimam,

pauperrimam et abjectissimam, oculis benegnitatis sue respicere, et in matrem eligere dignatus est.

Humilitas ergo hic proprie vilitatem significat, non virtutem humilitatis superbiæ oppositam ; hæc enim dicitur ταπεινοφροσύνη : Sola enim inter virtutes humilitas se ipsam ignorat, et qui se humilem esse jactat, superbus est, non humilius. Ita Theophylactus, Euthymius, Toletus, Franciscus Lucas, Cajetanus, Maldonatus et alii.

Sic Lia ait, Gen. xxvi, 32 : *Vidit Dominus humilitatem*, id est abjectionem, *meam*, qua ego a marito Jacob præ Rachele neglecta et quasi despacta fui. Et Mardochæus ad Esther, cap. xv, 2 : *Memorare dierum humilitatis tuæ qua olim plebs et pauper fuisti, non regina, uti jam es.* Sic Judith, vi, 15, orat Deum : *Respice ad nostram humilitatem*, id est afflictionem et abjectionem. Sic Christus reformabit *corpus humilitatis nostræ*, id est corpus nostrum vilissimum et miserrimum, per gloriam resurrectionis, *Philip.* III, 21.

Hinc ταπεινος dicitur quasi εδαφεινος ab ἔδαφος, id est *pavimentum* sicut humilis ab humo ; aut, ut Eustathius, ταπεινος per metathesim quasi πατητος *pessum dor* : *calcior, proteror.* Hinc τὰπης est *tapes* sive *stragulum*, quod calcatur et proteritur.

16º AGNOSCIT SE PER VIRTUTES, MAXIME HUMILITATEM
AD MATERNITATEM DEI ESSE ELECTAM.

Humilitatem ancillæ suæ. (Luc. i.) — Sieut B. Virgo hic agnoscit se electam in Dei matrem, quod longe majus erat ; ita pariter agnoscit se per humilitatem,